

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**


LXXXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

ama. Conjugi tuæ ego cum mea plur. sal. d. Datum Græci festinanter, feria 6.  
post Cantate, an. 1585.

T. F.

Jerem. Hombergerus.



LXXXII.

*Salutem in servatore Christo, Reverende & clarissime*

*D. Doctor, Domine amice & frater plurimum colende.*

**E**T si non dubito, M. Colbium sua seipsum virtute atque assiduitate, & tibi & Illustribus Dom. Proceribus commendatum esse, nolui tamen eum à nobis discedentem, sine meis ad te dimittere, officii magis & voluntatis meæ testificandæ causa, quam quod aliquid esse arbitrarer, quod à me, quam à fratre Doct. Erasmo, rectius scribi posset. De pecunia autem tibi debita ita constitui: quia tu nondum summam totam, quanta sit, significasti, scripsi ad civem Villacensem, Christophorum Grundhnerum, ejus ex fratre nepotem mecum habeo, ut meo nominae fl. 40. tibi transmittat, id quod ipsum facturum confido. Quod si verò jam antea per Mercatores pecuniam huc curasset, de quo mihi tamen non constat, dabo operam, ut quamprimum aliquem hic inveniam, cui tantum hic numerem ea conditione, ut vestratæ monetæ tantundem tu meo nomine recipias. Valde autem velim me vicissim aliqua in re gratificari tibi posse. De rebus nostris Mag. etiam Colbius pleraque poterit narrare. In vicino Palatinatu nihil est spei: & Palatinus etiam Johannes Biontinus paulatim magis magisque Calvinismum suum detegit. Sed DOMINUS dissipabit consilia impiorum. Benè in DOMINO, Clariss. Dn. Doctor, & frater plurimum observande, vale: ac festinationi ignosce. Argentorato 10. Septembr. Anno 1585.

*Tuus in DOMINO frater*

Joh. Pappus, D.

LXXXIII.

*Salutem à Domino nostro Jesu Christo, Reverende & Clarissime vir, compater honorande,*

**G**Ratulor proceribus vestris eam animi pietatem & fervorem, quem (ut ex  
Literis R. d. v. intelligo) in reformatione Ecclesiarum apud vos adhibent,

R r r r 3

ae

ac DEUM oro, ut legem suam in mentibus ipsorum obfignet. Passim enim extingui zelum erga veram religionem in animis summorum & infimorum notius est, quam ut commemoratione opus habeat. In his terris DEI beneficio status Ecclesiarum tranquillus est. Princeps noster Illustriss. amans pietatis, fovet Ecclesias & Scholas, & quantum in ipso est, dat operam, ne religio syn-cera aliquid detrimenti accipiat. D. Hesh. libenter cels. ipsius animum aver-tisset, sed DEUS clementer id prohibuit. Dolet ei vehementer, quod me Prin-cipi invisum reddere nequit. Me enim profligato putat se feliciter progredi & latius opinionem suam spargere posse. Nulla spes est, eum in viam reditu-rum. Tentavit Rostoch. & Wirtemberg. aggressus est occultis cuniculis, ve-rum irrito conatu. Rostoch. ut arbitrator, nuper ei responderunt, non tamen publico scripto, privatim enim adhuc hoc negotium inter ipsos agitur. Per Ducem Julium arte rem ita tractant, ut ipse scribat ad Principes ac petat, imò urgeat, injungant suis, ut se ipsis in hoc funesto certamine socios præbeant. Principes autem mascule se ipsorum conatibus hucusque opposuerunt. Wir-tembergici similiter eis brevi (privatim) respondebunt, Princeps quoque Wit-temberg gravi scripto Ducem Julium monebit, circumspicere agat, nec nimiam libertatem suis concedat. Julius forte quiesceret, si Theologi pacem colere, quam rixari & turbas dare mallerent. Perscribunt amici, quod data occasione in publicis lectionibus & Examinibus nominatim me perstringant ac conde-mnent. Tuli id hæcenus patienter, & deinceps feram propter communè Eccle-siæ tranquillitatem, nec contra publ. aliquid movebo, nisi publicis libellis pro-vocatus fuero. Responsum adornavi ad Judicium Hesh. de quo in proximis li-teris, verum amici suadent, ut tam diu differam editionem, donec illi publicis scriptis Ecclesiam turbent, ne gloriari queant, à me factum initium. Huic con-silio obtemperare volui, nolim enim autor esse novi certaminis, quod quidem ad me attinet. Jamdudum prorupissent in lucem & publicis scriptis rem ag-gressi essent, nisi Julii mandatum obstaret. Is enim, nisi plures Theol. se ipsis adjungant, non vult permittere, ut publice aliquid tentent. Judicant ergo amici, acquiescendum esse tam diu, donec pateat, quorsum conatus ipsorum evasurus sit. Wittembergici sperant incendium hoc opprimi posse, ne erumpat in publicum, sed tempus docebit omnia. Debebat eos movere Bezæ scrip-tum, sed cor ipsorum induratum est. Oremus Deum, ut misereatur Ecclesiæ. Fabellis & rumusculis Calvinistarum fidem adhibere noli. Pura puta mendacia sunt, lumina extincta esse in administratione cœnæ, in ruina cujusdam Bibliothecæ folius Lutheri libros comminutos esse. Sepulturæ Electoris Au-gusti felicis recordat. nec Casimirus, nec Landgravius Wilhel. interfuerunt, omnia illa finguntur ab illis, qui non tantum sunt mendaces, verum ipsum mendacium. Nosti spiritum istum, qui nisi mentiretur, vivere non posset.


Illustriss.

Illustriss. Electorem Christianum inclinare ad Calvin. ipsi quidem vehementiss. cuperent, & omnem movent lapidem, ut id impetrare possint; verum DEI beneficio frustra. A fide digniss. percepi, quod animose se declararit, & quod in doctrina, in qua educatus sit à teneris, constanter perseverare velit. Dixisse fertur ad quendam: se ne venulam quidem in corpore suo habere, quæ Calvinismo faveat. Et sane res ipsa loquitur, omnia tranquilla esse, nec ullam vel minimam mutationem vel in Academ. vel Ecclesiis factam. DEUS Opt. Max. porro ipsius cels. cor regat, ac gubernet, ne unquam in castra Calviniss. transeat. Sinamus illos gloriari ac mentiri, quia veritatem loqui non didicerunt. Dubium non est, quin clancularii Calvinistæ mutationem desiderent, sed desiderium impiorum peribit, ut Psal. verbis utar. De Mumpelgardiensis colloquio ad me scripsit D. Osiander die Pentecostes, per octiduum colloquium esse D. Jacobum cum Beza, coram præsentè Principe Friderico, ejus aulicis, & consiliariis, & Gallis exulibus, qui latinæ linguæ noticiam habuerunt. Tractatum fuisse 1. de cœna Domini, 2. de persona Christi, 3. de prædestinatione, 4. de Baptismo, 5. de Imaginibus. In quo ultimo articulo (qui tamen in collatione tertius fuerit) omnia concessisse Bezam, nisi quod pro more suo limitationes quasdam adjecerit, in cœteris quatuor articulis perseverasse in impietate sua. Cumque articulus de prædestinatione proponendus esset, petiisse Bezam, ut cum suis domum redire permitteretur, ac prætendisse propinquas paschatis ferias, & quod disputationem de prædestinatione non expectasset. Retentum tamen ægrè, & in loco de baptismo absurdissime proposuisse ac defendere conatum esse, quod videl. Paulus improprie locutus sit de baptismo, cum dixit: baptismum esse lavacrum regenerationis: quod innumerabiles pueri in baptismo non renascantur: quod electi in sceleribus contra conscientiam (etiam in ipso peccati actu) retineant fidem & Spiritum Sanctum. In articulo verò de prædestinatione omnes universales promissiones de misericordia DEI ad solos electos restrinxisse. Ex quâ disputatione Illustriss. Principem Fridericum ejusque aulicos & consiliarios ita in doctrina nostra sincera confirmatos esse, ut magis quam unquam antea Calvinismum execrentur. Post finitum colloquium & discessum Bezæ, plures quam viginti exules Gallos cum Eccles. sincera communicasse nemine id ab ipsis petente. Bezam dexteram fraternitatis petiisse, sed eam denegatam fuisse. Apologia Facultatis vestræ Wittebergæ procurante D. Polycarpo edita est. Si quid habes, quod elaboratum est, per occasionem ad me transmittas, quantum fieri poterit, curabo, ut publicetur. Anhaltinis denuo respondeo, prodibit, ut spero, circa festum Michaelis, typographum enim citius habere nequeo. Si desideras etiam resp. meam ad Judicium D. Hesh. curabo describi & efficiam, ut accipias, si modo possim habere, qui velit ad se recipere. Nosti tabellar. infidelitatem. Heidelberg. responde-

sponderunt ad Apologiam nostram per studiosos quosdam, ut vocant. Indignos iudico, quibus respondeatur, nec possum, simul tot laboribus sufficere. D. Chemn. obiit. D. Selnecc. tacet, forte ratione ingravescentis aetatis. Ego tot Advers. simul respondere nequeo, cum verter in difficillima & laboriosissima functione. Optavim, R. d. t. hac in parte aliquid praestare. Vale. Vindob. 20. Junii, Anno 1586.

Salutem adscrib. honestiss. conjugii & liberis,

Timotheus Kirchnerus, D.



LXXXIV.

*S. in Christo Jesu Domino nostro. Reverende & clarissime*

*D. Doctor, Compater & amice honorande.*

**L**iteras tuas, octavo Septembr. ad me datas, accepi: ad quas dudum ego respondissem, nisi ex iis intellexissem, te M. Menerum tuum huc ad nos missurum, cui putabam omnia, quae tibi alias à me perscribenda erant, tutissimè concredi posse. Literas verò illas alteras tuas, quinto Octobr. ad me datas, 23. modò Novemb. accepi: quod qua ratione factum sit, equidem ignoro. Quod prioribus tuis literis mihi de nova mea functione gratularis: est, quod tibi gratias agam. Faxit Dominus, ut opera mea Ecclesiae ac scholae nostrae sit salutaris, Quòd verò posterioribus illis tuis, de Heidelbergensium in intercipiendis & publicandis literis tuis perfidia mihi scribis, equidem vices tuas doleo. Verum cum mores istorum hominum maligni tibi sint notissimi, haud dubie quoq; eo æquiore animo hanc, summam sanè, injuriam, ab illis acceptam, feres. Apologiam tuam latinam nullibi, cum adhuc in Suevia essem, vel videre, vel comparare mihi licuit. Gruppenbachius noster ne unicum quidem exemplar habuit venale, sicuti nec reliqui Tubingenses & Sturgardiani Bibliopola. Maximo verò desiderio, cum in itinere Neoburgi à D. D. Haylprunneto exemplar accepissem, scriptum illud legi, & perlegi, quod usq; adeò mihi, & aliis probatur, adeoq; veritate, ceu unico fundamento, nititur, ut vehementer mirer, qua fronte impudentissimi isti Nebulones Heidelbergenses te tam duriter excipere audeant. Illorum equidem virulentum scriptum nondum videre mihi licuit: verum ex libri titulo, novorum librorum catalogo inserto, ceu ex unguibus leo cognoscitur. Pollicitus mihi est dudum Bibliopola noster, se curaturum, ut brevi illius scripti exemplar mihi communicet. Quamvis autem te jam exemplar accepisse, req; istius scripti refutationem adornare, existimem, tamen, ad petitionem tuam, non intermittam, quin, quamprimum illius videndi & legendi copia mihi facta fuerit, illud & legam, & quid tibi